Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1425
Quelle:
Copyright:



*firmanda?* Contra omnia haec ratiocinatur *Haselbachius* ita ingrediens: *Petiuit ymo verius mandauit vestra R^vma Paternitas super tribus punctis inire consultationem* &c. E quo, et mox sequentibus verbis: *Quia v. R^vma P. tanquam angelus pacis ad has partes missus est pro pace et vnione dissidentium* &c. concludo, rem esse de *Johanne Carvajalio* Card. S. *Angeli* a *Nicolao* V. a. 1448. in *Bohemiam* ablegato. Atque hic desinunt laboriosissimi Theologi nostri, quem non immerito *Gersonium* aliquem *Germaniae* dixerim, numerosa Monumenta, quae ignota longa nocte urgebantur, quamuis ad Historiam eccl. aevi sui non parum facientia. Ad ea compingenda adhibitae sunt laciniae elegantissime exarati Codicis Hebr. e C. VI. *Esther*.

DCXXIV.

U. 194 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 212. 4. maximam partem nitide scriptus, rubricis distinctus, et olim a *Thoma Haselbachio* saepe laudato relictus *Collegio B. M. V. Domus rubee Rose apud Fratres Predicatores*, sed situ magnam partem exesus continet: I. Scriptum quoddam polemicum, quod Indiculus praevius *de quadruplici Missione* adpellat, quodque init: *Viri etiam perfecti et in studijs eminenter literati non debent sancta et iusta facta ad eorum officia non pertinentia exercere nisi forte specialiter vocati* &c. Notum est, liberam cuicunque Diacono aut Presbytero Verbi Dei Praedicationem ab *Job. Wiclefo* adsertam, et ab *Job. Husso* propugnatam fuisse. Hic igitur Sententia catholica suis rationibus stabilita breviter proponitur, et mox: *Sequitur Scriptura in oppositum collecta* — — — Reliquum Rubricae deperiit, sed Textus incipit: *Quidam verbum dei pro libito suo alligare volunt*, et mox citatur *Augustinus ad Orosium de quadruplici Missione*, qui cum eodem modo citetur ab *Husso* in *Defensione quorundam Articulorum Job. Wiclefi* T. I. *Opp.* edit. 1715. p. 143. f. vix erravero, si hanc quoque *Scripturam* ad *Hussum* referam, quamvis ignoratam ejus Editoribus. Usserat Virum interdicta praedicatio, et frustrata adpellatio *Romae*, unde in eam valde acerbus est; *ibi enim*, ait, *primo ornatu meretricio vestitus est Silvester per Constantinum.* Verum, ut dixi, putredo magnam partem depasta est.

II. *fol.* 8. *Incipit sermo Magistri Bertoldi de Wyenna de assumpcione Marie virginis.* In illud: *Gratia dei sum id quod sum. I. Cor. 15.* Initium: *Prestantissimi Doctores* &c. *Vas electionis paulus predicator veritatis et doctor gencium* &c. *Bertholdum Tyrolensem* et *Norimbergensem* in Scriptoribus nostris Acad. reperi, nullum vero *Viennensem.*

III. *fol.* 17. *Responsiones M. Huss contra M. Stanislaum Professorem theologie.* Ineunt: *Jam restat ad scriptum magistri Stanislai de Znoyma doctoris theologie accedere*